Br
280.242
C 769 j

Convocation, July 17, 1937

ADDRESSES OF THE PUBLIC ORATOR IN PRESENTING FOR HONORARY DEGREES ON THE OCCASION OF THE INTERNATIONAL CONFERENCE ON CHURCH, COMMUNITY, AND STATE

Br
280.242
C 769 j

LIBRARY
World Council of Churches
150, route de Ferney, GENEVA

LIBRARY OF THE
WORLD COUNCIL OF CHURCHES

BIBLIOTHÈQUE
DU CONSEIL ŒCUMÉNIQUE

This book must be returned not later than
Ce livre doit être rendu au plus tard à la date
inscrite ci-après

1430

Congregatum est his diebus intra moenia nostra Concilium paene oecumenicum ecclesiarum Christianarum. Convenere a terris vicinis et longinquis, una heu excepta, legati, deliberando adsunt prope ecclesiae omnes. De Vita et Labore hominum inter se consulunt, quaerunt qualis sit Ecclesiae cum Rebus publicis et Populis adfinitas. Rogant quid sit populi vere Christiani officium in iuvenibus educandis, in societate civium ordinanda, in rebus erga gentes externas gerendis. Haec et huiusmodi alia investigantibus forsitan nonnulla sint apparitura quibus alius ab alio differat; si tamen vel ex discordia nova exstiterit harmonia, propius fortasse adveniet illa dies cum in unum corpus coniunctae fuerint ecclesiae iam separatae, cum orbis terrarum populos iterum consociaverit animus Christianus. Quod ut fiat Deum Omnipotentem ex animo precamur.

Tantis laboribus ne nos Academici deficiamus, placuit huic Convocationi in viros quinque egregios, e patriis totidem profectos, gradus honoris causa conferre, admirationis nostrae documenta atque reverentiae.

Stefan Zankow, Professor of Canon Law in the University of Sofia.

A Bulgaria advenit professor eruditissimus, qui iuris canonici inter suos interpres, Ecclesiae Orthodoxae Orientalis quae sit ratio et voluntas libro Anglice iam reddito ceteris aperuit. Idem liberalis semper ingenii fautor et res obscuras luce nova illustrare cupidus, toto animo Christianorum in terris et ecclesiis diversis concordiam suasit, et oecumenicum hoc concilium fortissime et constantissime adiuvit. Neque parva res est quod in huius persona Ecclesia Orthodoxa nobiscum et cum ceteris Ecclesiis reformatis de re qualibet communi colloqui vult et quid sit opinandum, quid faciendum una considerare. Talem hominem et ipsius nomine salutamus et eorum quoque quorum interpres ad nos venit et amicitiae sponsor. Quare praesento vobis virum iuris divini peritissimum, Stephanum Zankow, Ecclesiae Bulgariensis protopresbyterum, in Vniversitate Sofiensi iuris canonici professorem, ut admittatur honoris causa ad gradum Doctoris in Sacra Theologia.

Emil Brunner, Professor of Theology in the University of Zürich.

Quantum recentius incendium excitaverint in Helvetia et in Germania theologi quidam qui a ratiocinatione philosophorum ad ipsum Dei verbum in Sacris Scripturis expressum nos revocarunt, neminem, ut opinor, effugit. Quorum inter eminentissimos est vir hic Helvetus quem ad vos duco. Cum enim decem abhinc annis de Christo Mediatore librum insignem edidisset, postea de Verbo et Institutis, de Deo et Homine scripta haud minoris momenti protulit. Quibus cum vitiosam hominis naturam et Dei misericordiam in primis doceat, non tamen omnino, sicut alter, quocum prius est coniunctus, 'divini nescio cuius' expertes esse mortales credit neque Dei ipsius naturae funditus ignaros. De talibus controversiis iudicent theologici; nos virum eruditum et amabilem, qui his deliberationibus lucem adfert et auxilium, honore quem tam bene meruit, ornemus. Praesento vobis Aemilium Brunner, in Vniversitate Turicensi theologiae professorem, ut admittatur honoris causa ad gradum Doctoris in Sacra Theologia.

JOSEPH HOULDSWORTH OLDHAM, M.A., Trinity College, Secretary of the International Missionary Council.

Claudit agmen alumnus noster, plurimis nostrum dilectus, qui vitae sanctitate veritatis Christianae multis in terris exstitit praeco. In Academia Edinensi, dein in Collegio nostro Sanctae Trinitatis educatus, inter primos erat qui Societatem Studentium Christianam condiderunt, cuius nomen hodie per totum paene orbem terrarum est cognitum. Mox in India et in Africa moratus quid debeant cogitare Christiani, gentium coloris diversi, albi et atri, discordias contemplati libris et sermone exposuit. Quid? Nonne fructuosum illum Conventum Edinae abhinc quinque lustra habitum ipse magna ex parte direxit? Nonne Concilii perpetui, quod inde natum est ut fidei Christianae nuntios in ultimas terras mittendos curet, hic administrationem adhuc sustinet? Nonne huius ipsius maximi Conventus imago ab hoc primum concepta huius laboribus in rem vivam et agentem est translata? Praesento vobis virum pietate insignem et modestia, Iosephum Houldsworth Oldham, Artium Magistrum ex Collegio Sanctae Trinitatis, ut admittatur honoris causa ad gradum Doctoris in Sacra Theologia.

WCC GENEVA
1071485407

PRINTED IN GREAT BRITAIN AT THE UNIVERSITY PRESS, OXFORD
BY JOHN JOHNSON, PRINTER TO THE UNIVERSITY